

IN FUNERE

385

389

BENEDICTI XIII.
PONT. MAX.
ORATIO

Ad Eminentissimos, ac Reverendissimos

S. R. E. CARDINALES
Habita in Vaticana Basilica

A P. F. THOMA AUGUSTINO RICCHINI

Cremonensi Ordinis Prædicatorum S. T. M.

IV. Nonas Martii Anno MDCCXXX.



ROMÆ MDCCXXX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

SUPERIORUM FACULTATE.

BENEDICTI

PONTANUS



Ad Eminentissimos, ac Reverendissimos

S. R. E. CARDINALI

Habitu in Vestimento

A. P. THOMAS

Ordinis Praedicatorum

Prædicatorum

Prædicatorum

Prædicatorum

Prædicatorum

Prædicatorum

Prædicatorum

Prædicatorum





ILLUD etiam ad acerbitatem doloris, quem ego maximum in hac luctuosissima rerum conditione, tum ob publicas, cum ob privatas, ac domesticas rationes, ex Sanctissimi Viri BENEDICTI XIII. Pont. Opt. Max. morte concepimus, accedere debuit, quod obducta, nondum accepti vulneris cicatrice, ac profluentibus adhuc uberrimis lacrymis, nulla dicendi exercitatione, nullis eloquentiae subsidiis instructum, delectum me potissimum videam, qui coram augustissimo Confessu vestro funebrem ejus laudationem instituiam. Quod quidem amplissimum munus difficultatis, ac periculi plenum valde me subuisse puderet, nisi vestra EE. PP., quorum imperium detrectare piaculum erat, auctoritas impulisset, neque nunc ei gerendo parem fore considerem, si quemquam alium de tanti Pontificis laudibus pro rei dignitate satis dicere posse existimarem. At quando nulla vis ingenii, aut ubertas dicendi amplissimam illius virtutum segetem aequare potest, aut complecti; atque illud non Orationis, sed luculentissimae Historiae argumentum esse video, quod serae posteritatis documento, atque admirationi, certatim illustres adornabunt Scriptores, jam erigor animo, atque ipsa rei difficultate alacrior factus, argumento, & operi manus admoveo. Paucas tamen pro tenuitate temporis ad dicendum concessi, ex innumeris, atque insignioribus ejus laudibus delibabo, summa videlicet virtutum capita breviter, leviterque perstringam, quibus, quod erit facillimum, praclarissimas res a BENEDICTO XIII. in summo Pontificatu gestas commendem. Quod dum facio, & quae dico, non vestro tantum, sed univ. Orbis testimonio confirmata proferam, ne ad Sanctissimi Pontificis gesta dubiam lucem adferre videar, atque assentationis suspensionem omnem avertam.

Qui supremam R. P. dignitatem, qua nulla in terris augustior, aut sublimior, aequo animo reputaverit, is tanta amplitudini parem illum dumtaxat, ut ego sentio, existimabit, qui vicariam Dei apud homines potestatem sanctissimis, ac prope divinis moribus exprimat, summa gerat sapientia, atque incredibili vigilantia, ut summi Sacrorum Antistitis, supremi Ecclesiae Doctoris, atque Universi Catholici gregis Pastoris absolutissimi munia, quae dignitas illa complectitur, cumulatissime impleat. Habetis jam PP. AA. Pontificis optimi summam perstrictam Ideam: Habetis BENEDICTI XIII. paucis expressam Imaginem. His ille praclaris, ac Pontifice dignis virtutibus, sic in Apostolica Sede refulsit, ut sanctitate morum, doctrinae praestantia, ac zelo prorsus singulari veterum Sanctissimorum Pontificum gloriam aut aequare, aut aemulari certe, ac presso vestigio sequi visus sit. Ego vero in tanta virtutum copia, quae sanctissimam prorsus, atque admirabilem Pontificis vitam exornant, quam potissimum prosequar, quam praeteream, satis non video.

Ab illa tamen exordiar, qua nulla, teste Bernardo, splendidior gemma in omni praecipue ornatu Summi Pontificis; quo enim celsior caeteris, eo humilitate apparet illustrior, & seipso. Praclarissimam hanc virtutum principem, ut toto antea vitae cursu semper expressit, tum vero maxime, cum praeter suam, & omnium expectationem Universalis Ecclesiae clavo manum admovit. Meministis PP. AA. faustissimae illius diei, qua tanto, ac repentino omnium vestrum consensu Pontifex ille renuntiatus est, ut si cui forte adhuc dubium fuisset, hominum ne iudicio, an divino afflatu Pontifices crearentur: (quod tamen memini bono unquam dubium fuit:) tota

ta dubitatio in iis comitiis sublata esse videretur. Quae vero tunc electi Pontificis mens, quis fecus fuit? Diu, multumque hinc a vobis per argumenta, suasiones, ac preces, hinc ab electi humilitate, & constantia luctatum est, ut virtus illa severior, atque a summae dignitatis fastigio prorsus aliena, aliquando inflecti, ac vinci pateretur. Vicit tandem Sanctissimi viri moderationem, ac reluctantiam auctoritas vestra, oblatumque decus, quod tam magnifice detestando magis promeruerat, animi sui victor, ac se ipso major admisit.

Nihil tamen in illo susceptae dignitatis splendor immutavit, nisi, ut privata virtus ad tanti honoris culmen evecta longius coruscaret. In eo quippe fastigio collocatus infra aestimationem omnium se metiens; eadem, qua semper antea de se animi demissione sentiens, idem, qui fuerat, omnino esse non destitit. Non gratulationibus efferri, aut hominum plausibus, laudes omnes constantissime detestare, nihil sibi gloriae vertere, Deo totum acceptum referre, eumque perpetua gratiarum actione celebrare.

Cumque se ipso nihil vilius haberet, nullum ex tanta dignitatis commodis, aut ornamentis sibi usurpavit, sed sola onera, labores, curas. Vidisset propterea Rom. Pontificem omni fastu seposito, rejectoque splendidissimo comitatu, sine pompa, sine supercilio, privato pene cultu sese circumfusus per Urbis vias populorum turbis ferme quotidie spectabilem exhibere. Vidisset intima BENEDICTI XIII. penetralia non aulaeis, non holocaustis, non pretiosis tabulis exornata, sed rudibus Sanctorum imaginibus, tenuique suppellectili instructa, atque ad Apostolicam moderationem ita comparata, ut non Principis summi maiestatem, sed regularis viri paupertatem vel ipsi parietes praesferrent.

Eam scilicet vivendi rationem, quam ab ineunte aetate posthabitis nobilissima Familiae titulis, atque abdicato amplissimo Principatu, in Praedicatorum familiam coopertus jamdiu instituerat, cum antea in Cardinalitia, tum deinceps in Pontificia dignitate constantissime ad mortem usque retinuit. Idem semper ei morum tenor, idem religiosa vitae cultus, & disciplina. Quem cum inter aulae Pontificiae splendorem ad amissum exprimeret, tum vero maxime, cum intermissis aliquando Apostolicis curis in dilecti sui Ordinis aedes sese reciperet. Nihil tunc illi ab ceteris Religiosis diversum, communis cum illis refectio, eadem precum frequentia, eademque legum, ac religiosae vitae exercitatio, ut jam a ceteris nullo alio fecerneretur, quam ardentiori regularis studio observationis.

Jam vero si ejus temperantiam spectes, quis eo frugalior, qui in quotidiana vivendi ratione eam sibi legem indixit, ut coenotarum, aut plebeiorum honorem mensas Pontificis mensa non superaret? Ad vilitatem autem parcitatemque ciborum, quanta Deus immortalis accessere jejunia, quibus non statutis dumtaxat ab Ecclesia temporibus, sed aliis etiam diebus ita sese macerebat, ut nulla unquam aetatis fessae, ac decrepatae, nulla imbecilli corporis, ac laboribus fracti ratione habita, sacris Ecclesiae, vel Ordinis sui legibus se solutum esse voluerit.

Cum tanta vero Sanctissimi Viri abstinencia orationis, ac pietatis studium certabat. Non illum gravissima quaque negotia ab assiduo precatiois studio aliquando abduxere; quin semper ante lucem stans Sacerdotum precibus, plurimisque aliis recitatis, suo in Deum, ac Caelites amori, ad multas horas plenissime indulgeret. Deiparam quoque Virginem summa, ac vere filiali pietate prosequabatur. Ita sese illi devoverat, ut nullum ageret diem, quo, vel maximis distentis curis, horarias in ejusdem honorem preces, & facti Rosarii pensum ei non persolveret. Cumque innumeras de illius laudibus, jam ante Pontificatum ad populum Concoctiones habuisset, id Pontifex factus instituit, ut de ea singulis recurrentibus sabbatis coram ipso oratio haberetur. Quis vero secretos illius animi divino amore flagrantis aestus, quis pios gemitus, meditationes, suspiria, quae sola conscientia, ac caelo teste eliciebat, satis, non dicam assequi, sed conicere valeat? Dies me cito deficeret, si omnia, quae de illius in Deum, in Virginem, in Sanctos eximia pietate dici possent, recensenda susceperem, ac in vastum veluti pelagum spe tenendi portum conclamata me invecum sentirem. Id tamen non praetermittam, illius potissimum precibus restitutam temporum tranquillitatem, ac dissidentes jam pridem summos Christianae Reipublicae Principes optatissimae pacis vinculo junctos, quam arduae, ac pene insuperabiles difficultates inturbabant. Huic procurandae, ac firmandae, non minus Apostolicae Sedis, suorumque Nuntiorum curas, quam fusas ad superos preces, ac lacrymas suas felicissime impendit. His ille praesidiis publicam omnem calamitatem, ac divinae iracundiae flagella procul a Christianis finibus, quamdiu Petri Cathedram tenuit, certissime avertit.

Atque hinc facile intelligetis, quo ille in commissum sibi gregem amore, qua in omnes ardentissima caritate flagraret. Sane qui paterna, atque humanissima BENEDICTI XIII. viscera reputaverit, in eam statim cogitationem deveniet, optimum, ac pietissimum Principem nihil habuisse antiquius, quam omnium commodis, felicitati, ac saluti prospicere, seseque amplissi-

amplissima erga omnes beneficentia, & pietatis officiis impendere. Omnium amantissimus Pater interclusum ad sese aditum voluit nemini, omnes effusissimi amoris sinu complecti, faciles eorum precibus aures accommodare, nullum ab se mestum omnino, doleantem nullum dimittere, nullum non verbis optimis, ac placidissimis non recreare, omnibus demum pro re, pro loco, pro tempore, pro personis adesse, ad elargiendum, ac bene de omnibus merendam promittit, quam quisque ad rogandum. Huc spectant elevata gravissima vectigalia, huc ingens pecuniarum vis in pauperes distributa: Huc amplissimum Nosocomium, excipiendis, curandisque leprosis magno sumtu a fundamentis erectum: Huc lustrata non semel angusta praesentia Urbis Xenodochia, ac providis legibus ad excellentis pietatis normam composita, & praesentissimo infirmorum subsidio in melius restituta.

Cum vero in aliorum commoda, utilitatemque sese totum effunderet, omnium memores sui tantum immemor, atque adeo negligens fuit, ut nihil de vitae suae commodis, atque incolumitate, nihil de valetudine, nihil de sublevandis Pontificiis curis sollicitus, non modo se Principem, sed hominem esse pene videretur oblitus. Nam incredibile dictum est, quot ille labores affecta aetate, ac senio gravis, non tam tulerit, quam devoravit, ut iis plane vini sibi, ac prope mortem afferre visus fuerit. Somnos brevissimos capere, vigilem vero nunquam vacare, feriari nunquam, sed vel Tempia, atque Aras Deo sacrare, Altari Ministros, Ecclesiae Hierarchas solemnium ordinatione praesicere, Sacramenta distribuere, e suggestu dicere, lustrare Tempia, sacris interesse, vel operari, omnibus sui copiam facere, ac siderum instar irrequieto semper motu inferiorum rerum utilitatem volvi, nunquam non aliquid agere, inexplebili quadam novi semper aliquid ad rem sacram potissimum spectantis moliendi cupiditate; adeo ut cum tot, ac tanta praestitisset, unquam tamen nunquam satis, quod suum erat, se praestitisse arbitraretur; nam ex ipsis laboribus jucundissima quadam promanabat voluptas, qua ad novos suscipiendos alacrior redederetur, & quod negabat corporis fracti imbecillitas, pietatis, & caritatis ardor robur addebat, quantumque de viribus aetas demperat, atque imminuerat, tantum ad animi vigorem incensus in Deum amor augebat. O Virum admirabilem, nec laboribus victum, nec morte vincendum! O immensam caritatis vim, nulla rerum, operumque multitudine fractam, nulla unquam curarum mole obruendam!

His ille maximis cum publicae, tum privatae pietatis exemplis, ita in se universi Orbis admirationem converterat, ut constans, ac firma ejus sanctitatis opinio omnium animos occuparet, & quod incredibile prorsus est, per ipsa haereticorum ora, quo hac de re testimonio nil luculentius, longe, lateque circumferretur. Quare ex ignotis, atque externis quotquot ad Urbem Romanam ex variis Nationum gentibus cum semper, tum maxime Jubilaei, quod vocant, Universalis Anno confluerent, nemo erat, quin eo Pontifice felicem judicaret gregem, eorumque Christianum. Nemo, qui veteres illos Silvestrum, Gregorium, Leonem, ac Pium, ejusdemque generis alios Sanctissimos Pontifices in BENEDICTO XIII. quadam morum similitudine redivivos non affirmaret. Nemo denique, qui sanctissimo ejus vultu conspecto, ac clarissimis gestis propius spectatis, non aperte profiteretur, ac praedicaret, omnia se in illo majora re ipsa comperisse, quam fama.

Sapientiam vero cum primis, atque eximiam prorsus Doctrinam cum sanctitate conjunctam admirabantur, quo etiam potissimum titulo se supremum Ecclesiae Doctorem cumulatissime praestitit. Hic vero mihi, quam multa occurrunt, quam gravia de summa ejus eruditione dicenda, cum tamen videam multa esse omittenda, vel unumquodque eorum per has temporis angustias praeripendum.

Nihil propterea dicam de Angelicae Thomae doctrina, quam cum ille ab ineunte aetate fideliter, ac medullitus animo imbibisset, scriptis suis deinceps, ac demum Apostolicae vocis praerone exultit, atque a malignantium hominum calumniis vindicavit. Nihil de assidua sacrorum librorum lectione, de divinarum, atque ecclesiasticarum rerum frequentissima cum eruditis viris collatione, de intermissis nunquam, vel in maximis occupationibus graviorum studiis literarum. Mitto innumera, quae ad mores efformandos, disciplinam restituendam, sacros ritus illustrandos lucubravimus volumina, quae solidam spirant, nativamque auctoris sui cum eruditione pietatem. Omnigenae illius literaturae, atque uberrimae doctrinae testes appello quotquot, vel de vetustis ritibus, vel de sacris Pontificum, ac Conciliorum sanctionibus, de Ecclesiasticae Historiae monumentis, de tota demum antiquitate differentem aliquando exceperem.

Quantam ille omnibus sui admirationem movit, cum veterum Pontificum morem amulatus, ambonem conscendens, vel adstantem in Romano Concilio sapientissimorum Patrum coronam, vel circumfusum deinceps fidelem populum adloquutus est, ut fidei, morum, & disciplinae documenta traderet, atque auditorum corda ad omnem pietatis cultum excitaret?

Ipsa

Ipse orationis argumentis instruere, quae ex factis paginis hauserat, quaeque solebat veteribus Ecclesiae documentis, Sanctorum Patrum, & Canonum fulcire sententis, & tanta rerum, verborumque ubertate exornare, ut dubium esset, utrum doctrina, an eloquentia praevaleret; eo tamen discrimine, quod haec nata illi, atque ingenita, illa labore improbo, & assiduis comparata lectionibus videretur. Admirabantur qui eum audiebant, quomodo inter tot curas, ac negotia copiosam adeo rerum, ac sententiarum seriem retinere memoria, & dicere illi ex tempore promptum, paratumque esset; Sed cum haec haud haesitante, sed facile, atque affluenter diceret, ostendebat se jamdiu his esse imbutum, quae longo studiorum usu, & assidua rerum, exercitatione jam paraverat, ac mente tamquam locuplete amplissimae eruditionis penu clausa, ac recondita retinebat. Inter haec vero effusi audientium plausus, summamque omnium admirationem, ac quisque statim fatebatur BENEDICTUM XIII. tantum alios eruditione, ac doctrina praecellere, quantum ceteros honore, ac dignitate anteciret.

Atque haec verbo, & doctrina. Rebus autem ipsis quantum Pastoris optimi, ac vigilantissimi zelum exhibuit, partesque omnes cumulatissime implevit? In id toto caritatis aestu, ac nissu mentis incubuit, ut auctoritate, consilio, & exemplo; stantem jamdiu Christianam Rempublicam magis constabiliret, stabiliendo firmaret, firmatam amplificaret.

Doleo PP. AA. pauca admodum oratione persequi posse ex iis, quae ad Ecclesiae utilitatem, ac disciplinae reparationem, morum emendationem, pieratis, divinique cultus incrementum saluberrime sanxit, constituit, providit. Loquuntur tamen per sese tum editae in Romano Concilio sanctiones vere aureae, tum ab eo innumeris Constitutionibus statuta leges, tanta rerum, gravitate, ac providentia spectabiles, ut ex illis per se BENEDICTI zelus, vel si nullum aliud adhibeatur praedicationis lumen, in omnium admirationem suspiciendus incurrat.

Mihi tamen praeterea non est vere Apostolica illa, ac Pontifice digna, qua urgebatur, sollicitudo, ut profligatis erroribus, ac sublatis aliquando Religionis dissidiis, paci, atque unitati Ecclesiae consuleretur. Eo praecipue sanctissimae mentis curas, cogitationesque omnes convertita

Nam cum damnata jam pridem saluberrimo consilio a sanctissimae memoriae Pontifice Clemente XI. Quessellanae factionis homines in Amplissimi Cardinalis nomine, atque auctoritate, per vicacia, & dissensionis suae praesidia locassent, nec ulla optimorum Pontificum auctoritate, industria, ac longanimitate ad Apostolicae Sedis obedientiam revocari potuissent, rem praeram BENEDICTUS XIII., ac suae congruam vigilantiae molitus est, ut scilicet dissidentes animos, atque obstruatos ad concordiam, unitatemque reduceret. Cardinali Noaillio sibi veteri amicitia jucto persuadere saniora adortus est, eo auctoritatis, doctrinae, & caritatis temperamento, ut tanti Pontificis reverentia adductum, sponte sua, ac volentem ad amantissimi Patris amplexus, declarata expressius sententia redire coegerit, atque arctioribus caritatis vinculis sibi, & Apostolicae Sedis aeternum devinxerit. Sic inter favos turbines, & ingravescentes Ecclesiae Gallicanae procellas BENEDICTUS XIII. tamquam felix aliquod, ac benignum sidus effulsit, & cum res perditae, ac conclamatae viderentur, subito pacem attulit, & serenitatem. Ingens sane laudis argumentum, ac vere dignum BENEDICTO triumphum, quem nulla unquam conticefecit aetas, cui tota plaudet aeternitas.

His ille pro Catholica Religione, ac Christianae Reipublicae bono praeclearissime gestis, ita sibi bonorum omnium animos, voluntatesque devinxerat, ut nemo non ei immortales dies adprecaretur, cuperentque omnes, si fieri potuisset, partem aliquam vitae suae conferre, ac contribuire, & annis suis vitam illius prorogare. At nostris, crediderim ego, flagitiis dum majora de illo in hac maxima temporum difficultate sperare licuisset, eam nobis felicitatem ademptam luctuosissima morte videmus. O mortem, per aetatem quidem, virtutemque maturam, ac communi bono praeproperam nimis, acerbam, repentinam! O gravem jaeduram saeculorum omnium lacrymis prosequendam.

Dolendum sane Christianae Reipublicae, quod Religionis, ac Fidei columnen, ecclesiasticae disciplinae vindicem, Apostolicae caritatis reparatorem, Doctorem eximium, Pastorem vigilantissimum, absolutissimae demum sanctitatis exemplar miserrime amisit. Dolendum Romanis Civibus, ac subjectis populis, quod erepto sibi humanissimo, ac munificentissimo Principe, immo vero Parente optimo, pupilli facti sint absque Patre. Dolendum vero cum primis Praedicatorum Familiae, quod uno veluti vulnere, ac quodam fato gloriosissimum Filium, quem olim in suo sinu aluit, fovit, instituit, atque ad gerendam summa cum laude Ecclesiarum sollicitudinem demum eduxit, eundemque amisit Parentem amantissimum, a quo aeternum, atque amplissimum decus est consecuta.

Non ita tamen dolendum, ut de Sanctissimi Viri morte (seu verius e terris in caelos discessu) contristemur, sicut ceteri qui spem non habent, & quae merita lenire possunt dolorem nostrum, solatia

solatia respiciamus. Eadem scilicet BENEDICTI XIII. virtutes eximia, humilitas, moderata
 caritas, religio, ac nivea morum innocentia, quæ de illius iactura lugere nos cogunt, de illi
 pie credita felicitate letari nos jubent. Hanc præ cæteris augent fiduciam summa ejus in Deum
 ejusque Virginem Matrem, Sanctosque omnes, cum primis vero amantissimum Parentem suum
 Dominicum, quemque ut singularem Patronum impensissime coluit, Philippum Nerium, Reli-
 gio, ac Pietas: Eorum jam ego complexibus, ac beatissima societate fruente[m] suspicere videor,
 summoque cælestium plausu inter illos jam adoptatum, quos hic solemn[is] ritu sacris Aris admo-
 vit. Inde vero in spem adducor certissimam fore, ut Apostolicam Sedem, quam vivens sanctif-
 sime implevit, atque illustravit, nunc etiam e celis respiciat, effusisque ad D.O. M. precibus id
 in primis efficiat, ut collatis in unum EE. PP. consiliis, vestris concordibus animorum suffragiis
 is tanti Pontificis Successor deligatur, qui per ejus vestigia decurrens, ad singularem ejus sancti-
 tatem, doctrinam, ac vigilantiam propius accedat. Dicebam.



IN F. R. M. E. R. E.
BENEDICTI XIII.
OMNIA XI.
ORATIO

Ad Eminentissimos, ac Reverendissimos
S. R. E. CARDINALES
Habitu in Veneranda Basilica
A. S. ROMANA AUGUSTINO RICCHINI

Compendi Ordinis Praedicatorum S. T. M.
IV. Nonas Martii Anno MDCCXX.



ROMA MDCCXX.
Ex Typographia Reverendae Camerae Apostolicae.
SUPERIORUM FACULTATE.